Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

mereamur. De quo apostolus: non regnet peccatum inquit mortali carne. Tradunt Hebrei propter hoc Ysaiam lignea serra fuisse occisum, quod se Deum vidisse dixerit et eos principes Sodomorum et populos Gomorre vocaverit. Vidit enim non oculis carnis neque eius divinitatis naturam, quam utique impossibile est hominem videre et vivere, sed in ea specie qua se sibi ostendere voluit. Sic enim Habrahe in homine apparuit. Sic et Jacob ait: Vidi dominum facie ad faciem et salva facta est anima mea. Moysi quoque in rubo ardente se manifestavit. Visus est autem et aliis modis quibus se servis suis ostendere voluit. Eius tamen divinitatis naturam nemo umquam vidit, quam soli mundo corde visuri sunt. Beati igitur mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et alibi scriptum est: Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

Et ea que sub ipso erant implebant templum. Vidit enim propheta dominum nostrum Ihesum Christum in specie regis et iudicis super excelsum et elevatum solium sedentem. Que vero sub eo erant templum implebant, angeli videlicet et homines. Quid enim est quod sub eo non sit, nisi ipsa trinitas in qua ipse unus est. Omnia enim subiecta sunt sub pedibus eius.

Seraphim stabant super illud, sex ale uni et sex ale alteri. Duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Stabant inquit seraphim super illud. Sed super quod illud? Videlicet super templum. Interpretantur autem seraphyn ardentes, quia tanto maiore ardent amore, quanto familiarius ipsi maiestati adherent. Demonstratur etiam eorum prerogativa dignitatis in hoc quod non in templo sed super templum stare videntur. Alas autem habere dicuntur, quoniam velox et facilis est eis discursio, ubicumque mittantur. Omnes enim ut ait apostolus ministri sunt in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Sed quare sex hic perhibentur, nisi quia omnis eorum volatus et operatio eis tantum necessaria sunt, que in sex diebus fabricata sunt. Quarum due velabant faciem eius et due velabant pedes eius, quoniam neque prima ante mundum neque ultima post finem mundi ulli hominum scire vel intelligere datum est. Unde hic idem propheta ait: Dicite que prima fuerunt et ultima que futura sunt, et dicam quia dii estis vos. Due autem quibus volabant ille sunt quibus ad nos veniunt, quibus nos ad altiora intelligenda sublevant, quibus et ea que inter prima atque ultima sunt nos intelligere et cognoscere faciunt. Clamabat autem alter ad alterum et quanta exhortatione invicem dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus exercituum. In quo archanum trinitatis misterium revelatur et innotescit. Sanctus est enim pater, sanctus filius, sanctus est et spiritus sanctus, non tamen tres sancti sed unus est sanctus. Unde cum ter dicatur sanctus, unus solus dicitur dominus deus exercituum. Denique non templum sed omnis terra gloria eius plena esse dicitur, ut ille qui pro nobis carnem suscepit, ut verus deus ubique comprobetur. Possumus autem et allegorice per solium excelsum et elevatum corpus dominicum intelligere, quod super omnes creaturas exaltatum et elevatum est. Super quod et in quo ipsa divinitas sedere describitur, que omnia regit et continet. De qua hic dicitur: Plena est omnis terra gloria eius. Que vero sub eo sunt templum implent, quoniam quicumque eius dominium recognoscunt extra sanctam ecclesiam numquam habitant. Duo vero seraphyn duo sunt testamenta, que bene supra templum stare dicuntur, ut cunctus populus ea videat et ad ea semper attendat. Et ipsa siquidem sex alas habent, quia de senaria [illegible] constitutione plenissime loquuntur. Hiis autem alis qui adiuncti non fuerint ad celestia volare non poterunt. Que et ipsa quoque faciem et pedes domini velant, quoniam nec prima nec ultima aperte manifestant. Volant autem duabus alis, quia solummodo in hiis que media sunt ad mentes nostras et corda dilabuntur. Vicissim etiam se hortantur et ad alterutrum: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus exercituum clamant, quoniam utrumque testamentum et trinitatem predicat et eius maiestate omnes terras repleri testatur.

Et commota sunt limina cardinum a voce clamantis, et domus impleta est fumo. Clamaverunt inquit seraphyn, de quibus modo diximus, et trinitatis misterium ubique terrarum per eos revelatum est. Quibus clamantibus tota corruit synagoga, motisque superliminaribus iam ingredi templum cuilibet [illegible]. Sed cur ingrediatur, cum domus ipsa fumo ignorantie et cecitatis et erroris tenebris sit impleta? Nam et secundum litteram post quadraginta et duos annos non solum fumo impleta sed et igne combusta est.

Ve michi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem dominum exercituum vidi oculis meis. Ve inquit michi quia tacui et simul cum seraphyn dominum laudare non merui. Sed dicet aliquis: Cur ergo tacuisti? At ille: Quia vir pollutus labiis ego sum. Quid nos infelices dicemus tantis sceleribus involuti, cum de solo sermone se propheta reprehendat. Quare autem pollutus